



Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam
Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In
Qvibvs Singlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo
Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt XII. Aspirationes quædam huic stationi propriæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

CAPVT XII.

Aspirationes quaedam huic stationi propriae.

AD beatam hanc amoris affectuosi exercitationem facilius usurpandam, aliquot hic aspirationes, actusque anagogicos adjungemus; quæ velut formam, & exemplar aliis adinvenientis præbebunt, secundum fervorem in uniuscujusque cor, à Spiritu S. calore diffusum.

O quando mihi plenè moriar, & ab omnibus creaturis liber ero! O utinam verè mitis & humilis corde, verè pauper, & nudus essem spiritu! Præsto Domine, ut per perfectam mei abnegationem, per perfectam victorum omnium mortificationem, perveniam ad perfectum tui amorem.

Tu jussisti, ut diligam te, da quod jubes, & jube quod vis: da ut diligam te ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis viribus meis, atque ex tota mente mea: ipsæ vires animæ meæ contractas, & corruptas digneris reintegrare, atque reformare per vires sanctissimæ animæ tuæ: expedi mentem meam ab omni multiplicitate: denudea eam ab imaginibus & formulæ rerum caducarum: concede mihi liberam adintroversionem, concede ut stabili cogitatione, clarâ cognitione, & ferventi amore semper in te fluere possim.

O bone IESV, o spes mea, & refugium meum! o dilecte, dilecte, dilecte! o charorum omnium charissime! o amor meus unice! o sponse floride, sponse melissue! o dulcedo cordis mei, & vita anima mea! o essentia essentia mea, & jucunda requies spiritus mei! o optata consolatio mea, & sincerum gaudium meum! o speciosa dies æternitatis, & serena lux infimorum meorum! o resurgens conclave meum, & vernantissima hereditas mea! o amabile principium meum, & sufficientia mea DEVS meus!

Quid volo præter te? tu es verum & æternum bonum meum: eja trahere me possi te, ut alacriter, pure, & perseveranter curram in odorem vivificantium unguentorum tuorum.

Præpara dilecte mi, præpara tibi gratiam & amantissimam habitationem in me, ut ad me venias, & mansionem apud me facias: mortifica in me, & repelle à me quicquid tibi displicet: avelle ac separa me ab omnibus, quæ sunt infra te: effice me hominem secundum cor tuum, effice me conformem sacrae humanitati tuæ. Vulnere cor meum medullitus jaculo amoris tui, inebria spiritum meum vino perfectæ charitatis, uni me tibi intimè, & totum transmuta in te, ut delicias tuas in me habere possis.

Ex hârum aspirationum frequentia, maxima in animam utilitas dimanat, est enim, ut supra diximus, efficacissimum perfectæ charitatis acquirendæ medicum. Singulæ namque illarum, jacula & scintillæ quædam ac sagittæ sunt Spiritus S. voracissimæ, quibus dilectorum, & electorum suorum corda vulnerat, penetrat, & depascit, & velut fornaces pleno charitatis igne succendit. His expurgantur peccata, vitia concremantur, mortificantur & refrænantur passionem, tentationes devincuntur. Dum enim istis amoris subtilibus in DEUM frequentius elevamur, facillime inimicorum subterfugimus impetum, & carnis nostræ luxum & gustum ita infringimus, & debilitamus, ut vix ab eo, qui expetitus non est, credi possit. Et ut uno verbo absolvamus, dixisse sufficiat, istud angelicum, & suave aspirationum divinarum exercitium, tantæ utilitatis esse, ut secum omnium virtutum affectum trahat, animam purificet, in-

tellektum illuminet, voluntatem inflamment, totumque hominem in DEUM beatissima metamorphosi transformet.

CAPVT XIII.

Quaedam documenta pro exercitio aspirationum scitu necessaria.

Primum documentum sit: quod quamquam prædictæ aspirationes utilissimæ sint, prudenti tamen discretionem usurpandæ, & nonnunquam interrumpendæ erunt, ne imprimis nimia violentia vires & caput debilitent, tum etiam, ne forte quis omisso virtutum moralium exercitio, se omnino vacuum, & à fine suo longè reperiat remotum, & alienum. Necessitateque erit, ut subinde crebris virtutum actibus, maximè humilitatis, resignationis, gratitudinis, respiciens in auctorem sui dei JESVM Christum, ei se conformare, ejusque mores in se exprimere studeat, & charitatis illius infinitæ modum ruminet, ac diligenter expendat, sicque cum ad pristinam amoris unitivæ exercitiæ redire voluerit, se magis DEO assimilatum, magisque ad unionem, transformationemque divinam dispositum, non sine magna cordis sui voluptate reperiet. Illi vero, qui virtutum studium omnino prætermittunt, torpore quodam, otioque ita redduntur hebetes & dissoluti, ut cum sibi persuadeant, ad intimam sese cum DEO unionem, veramque pervenisse tranquillitatem, plenam mentem amore proprio, verisque carentes virtutibus, quam longissimè à scopo distent. Bina igitur hæc exercitia amoris unitivæ, & virtutum cum perfectæ sui ipsius mortificatione, propostis sibi vita D. nostri IESV Christi vivi omnis perfectionis exemplaris, alternanda sibi erunt, & vicissim renovanda.

Secundum documentum sit, ut exercitator in via affectiva DEUM simplici inveniatur, absque alio discursu, sibi representare conetur, tanquam omnis perfectionis fontem, omnique boni & amoris creati impenetrabilem abyssum, tanquam ens, substantiamque incomprehensibilem, omne id, quod de DEO intelligere possumus, infinitè transcendentem. Unde in minima delectatione perfusus medullitus gaudeat, & immensam quodammodo concipiat complacentiam se habere DEUM, qui infinito amore, infinita gloria, & honore plusquam dignissimus est.

Actus etiam amoris frequenter exerceat de perfectionibus divinis exultando, ad quædam illarum particulariter descendens v. g. infinitam DEI Bonitatem, Sapientiam, Omnipotentiam, & æstuantibus desideriorum votis, unice exoptans, ut ab omnibus cæli, terræque creaturis, prout patet est, cognoscatur, honoretur, adoretur, glorificetur, ametur.

Summè debeat de tor, quæ commissa fuere, & indies committuntur adversus divinam Bonitatem sceleribus & peccatis, & specialiter de iis, quæ ipse tam enormi in DEUM rebellionem commisit, offeratque se in sacrificium, & in manibus magni DEI se totum projiciat, & consignet, ut de seipso faciat in tempore, & in æternitate, quicquid visum fuerit beneplacito SS. voluntatis suæ.

Denique præcipuum hujus diæ exercitium duobus comprehenditur, quæ cetera omnia completi videntur. Primum, est perfectæ perfectionis